

Post prandium hora 20 accessit ad ecclesiam parochialem Sancti Quilici loci Aregni, ubi reverenter fuit receptus a reverendo Dominico Croce rectore eiusdem, et praemissis omnibus [91r] visitavit altare dicto sancto dicatum, quod sufficienter ornatum est. In hac parochia non est neque sanctissimum Sacramentum nec baptisterium nec sepulchra, cum haec omnia sint in antiqua plebe sanctissimae Trinitatis, de qua inferius referam. Ecclesia admodum angusta est et in ea nullum est missarum onus (etc.).

Annui redditus sunt librae 520. Sed modernus parochus solvit pensionem librarum 116 sacerdoti Ioanni Dominico Croce, qui dictam ecclesiam eidem resignavit.

Familiae 96. Sacerdotes 13. Animae 235. Altare privilegiatum altare maius.

Successive perexit ad ecclesiam plebis sanctissimae Trinitatis Aregni, ubi reverenter fuit receptus a reverendo Petro Francisco Mariani viceparocho; et praemissis consuetis precibus visitavit sanctissimum Sacramentum, quod deprehendit minus proprie retentum in parva custodia amovibili. Altare nullo ornatu; et deinde populum benedixit.

Baptisterium et sacra olea satis munda sunt. Duo sunt altaria; maius praedictum et alterum sanctissimi Rosarii.

[91v] Haec plebania est mehercule omnium ecclesiarum Aleriensis dioecesis miserrima. Altaria, ut dixi, nullo ornatu; parietes nec calce liniti nec dealbati; pavimentum undique labefactum; faenestrae patent; fores pervetustae; denique nihil est quod sapiat ecclesiae, sed potius videtur ampla cripta, in qua faenum et paleae custodiantur; et idcirco omnino interdicto subiicienda erat. Verum attenta horum temporum calamitate noluit illustrissimus ac reverendissimus dominus quidquam praecipere, sed populum exhortatus est et deprecatus ut sanctissimum Sacramentum deferant et conservent in oratorio; sed illico et oppositiones et murmur exhorta sunt, quae ne magis praecrescerent dissimulandum fuit et hortandum ad eam restaurandam. Nescit autem percipi quomodo ecclesia praedicta plebania sit et plebanus resideat in loco Sancti Antonini ibique parochiales functiones peragat et praesto sit, et ecclesia plebis per viceparochum regatur. Tum parochus Sancti Quilici in ea iura parochialia exercet. Illustrissimus [92r] ac reverendissimus dominus ad haec animum advertit, sed cognovit non posse huiusmodi negotia conciliare, nisi diuturnitate temporis. Denique visis omnibus videndis ad suam residentiam rediit.

Interea admodum reverendus convisitator et ego infrascriptus pereximus ad oratorium Sancti Michaelis Arcangeli loci Torre, et decretis editis, de quibus (etc.); quoad caetera satis decens est.

Successive pereximus ad oratorium Sancti Ioannis Evangelistae loci Prauli, quod pessime retentum vidimus, prout ex decretis. In hoc oratorio erecta est cappellania a quondam Ioanne quondam Augustini ex testamento rogato a notario Casanova Croce, nescire tamen potuimus quo die, mense et anno; qui omne suum aes reliquit in summa librarum decem mille, cum onere missarum trium in qualibet hebdomada. Cappellanus pro tempore est sacerdos Ioannes Baptista Alegrini variis affectus morbis et senectute; unde nec missas celebravit, et oratorium ad hunc statum redactum p[re]ae eius incuria. Verum attenta eius miseria, ut pane [92v] ordeaceo vivat, adhibita minime sunt consueta iuris remedia.

[...]

Pro ecclesia Sanctissimae Trinitatis Aregni

A compatronis sepulchrorum intra quinque menses restaurentur lapides sepulchrales; quo tempore elapo[rum] omnino sepulchra sint interdicta et compatrioni privati iurepatronatu.

Sacra suppelletilia restaurentur et decentius asserventur, sub poena librarum centum; planeta vero *di damasco bianco* et altera nigra *di camellotto* sint interdicta.

Illustrissimus ac reverendissimus dominus, cum vidisset hanc ecclesiam, cuius parietes nec dealbati nec calce liniti sunt, tectum ubique fatiscens, pavimentum undique labefactum, altaria nullo ornatu, faenestrae et fores fractae, omnino interdicto subiiciendum esse duxit; attenta tamen iniuria temporum in Domino sufferendum putavit. Enixe autem hortatus est populum ut saltem sanctissimae Eucharistiae sacramentum transferatur in oratorio [113r] seu casazza, donec ecclesia restaurata sit; ad quem finem mandavit ut procuratores annuam pensionem et caetera ecclesiae debita intra sex menses exigant, sub poena interdicti ab ingressu ecclesiae.

Pro oratorio Sancti Michaelis Arcangeli loci Torre

Intra tres menses auro liniatur patena et interim sit interdicta.

Conficiatur planeta nigri coloris intra quatuor menses, sub poena librarum quinquaginta.

Pro oratorio Sancti Ioannis Evangelistae loci Prauli

Intra tres menses restauretur fornix, quibus elapsis sit oratorium omnino interdictum.

Auro liniatur calix, et patena, intra tres menses, alias sit interdictus.

Fiat nova planeta nigra et una variorum colorum, quatuor purificatores, unum corporale et palla, et fiat nova ianua ac faenestrae instruantur saltem tela cera linita intra sex menses, sub poena librarum centum.

Intra tres dies amoveantur trabes, alias oratorium sit interdictum.